

5. V. Cetera difficultates circa scandalum breviter resolvuntur.

Petes 1. Utrum sit semper peccatum scandalum petere ab aliquo id, quod non est facturus sine peccato? R. 1. Petere, aut consulere absolute opus, quod heri non potest absque peccato, est semper peccatum scandalum; quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi: absolute; quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, si ceret illi suadere minus; sensus enim non est, quod absolute faciat minus, sed conditionaliter, si decrevisset facere malum, fac potius minus. R. 2. Si quod petitur, fieri possit absque peccato, quamvis praevidetur alter non facturus absque peccato, subsistente justa causa, non est peccatum scandalum illud ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, Sacramenta a malis ministris; quis, qui petit sic, ex justa causa petit, quod justum est & rationabile, & quod alter potest bene facere, si velit. Excepe casum, quo quis peteret a maleficio tollere maleficium, quod quidem potest tollere sine maleficio; quia, cum demon sit Dei inimicus irreconciliabilis, omnis societas cum illo est jure naturali illicita, utpote contra fidelitatem & reverentiam debitam Deo. De his vide plura, quae scripsimus in variis locis, nempe de Religione Dissert. 7. a. 5. §. 2. Petiti. 2. sub finem. De contractibus Dissert. 4. a. 7. de Sacramentis in genere, Dissert. 5. art. 6. Concl. 2. & alibi.

Petes 2. Utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandalum? R. Quod cooperari peccato alterius per actiones secundum se indifferentes, ut contingit in captivis apud Turcas, qui remigant contra Christianos, in rusticis, qui avehunt praedas furtivas militum, in caupone, qui die veneris apponit carnes hospitibus, si id fiat metu mortis, aut gravis damni, non sit peccatum scandalum. De qua materia non parum impleta vixit plura, quae scripsi in Tract. de Justitia Dissert. 8. a. 13. §. 6.

Petes 3. Utrum scandalum reperitur in viris perfectis? R. Scandalum (Ib. a. 5. & 6. a.) non reperit ordinarie in viris perfectis. Non passivum; quia, cum hemiter inhazereant Deo, non moventur aliorum dictis, aut factis. Non activum; quia, licet ex humana infirmitate a perfectione deficiant, id tamen sit occulte, vel leviter, ex quo non potest ab aliis rationaliter sumi occasio peccandi. Dixi: Ordinarie; quia, licet Auctor hic absolute loquatur, intelligendum tamen esse de eo, quod ordinarie & ut plurimum accidit, constat ex his, quae scribit in 4. d. 28. q. 2. art. 3. q. 1. & 2. Ubi agnoscat aliquando, etsi raro, scandalum tam passivum, quam activum posse reperiri in perfectis, non quatenus sunt perfecti, sed quatenus deficiunt a perfectione. Idque evidens est; cum enim perfecti in via non sint confirmati in gratia, possunt ex dictis, vel factis aliorum moveri ad peccandum, & ipsi facere, vel dicere id, ex quo alii moventur ad peccandum.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrum bellum, quod Filii Jacob intulerunt Sichimitis propter stuprum Dinæ sorori illatum, fuerit justum?

Ad Art. 3. de Bello.

Moses Genes. 34. narrat, quod, cum Jacob juxta Salem urbem Sichimitarum tentoria fixisset, Sichem filius Hevæi Dinam Jacobi filiam seorsim repertam defloraverit, quam cum Patre petiit in uxorem a Jacob, annuit Jacob a lege, ut omnes Sichimitæ cum Rege & ejus filio Sichem circumciderentur. Conditione accepta & adimpleta, Simeon & Levi fratres Dinæ primò, deinde ceteri filii Ja-

cob tercia die circumcisions, quo vehementissimis est ejus dolor, urbem invaserunt, & irruerunt in Sichimitas, omnesque masculos cum Rege & ejus filio trucidarunt, ac mulieres, pueros, greges, armenta abduxerunt. Quaeritur, utrum istud Bellum fuerit justum?

Dico: Bellum, quod filii Jacob Sichimitis intulerunt, non erat justum. Prob. 1. Quia illarum fuit sine legitima auctoritate, nempe inconsulto Jacob, cujus erat vindicare injuriam factam suæ filiae. 2. Illatum fuit contra fidem datam, & pactum, quod mirantur filii Jacob cum Sichimitis. 3. Quia Sichimitas ex recenti vulnere debilitatos, & ad bellum imparatos & inermes aggressi sunt, quod sapit crudelitatem. 4. Quia longè majorem vindictam sumpserunt, quam mereretur facinus Sichem: Offerebat enim Hemor totam, quam poterat, satisfactionem, nec majorem exigebant Jacob & ejus filii, & tamen non solum reum, sed omnes masculos insontes occiderunt, urbem depopulati sunt, greges & armenta, mulieres & pueros abduxerunt. Undè Jacob graviter objurgavit Simeonem & Levi, auctores facinoris Gen. s. 34. v. 30. „Vivastis me, inquit, & odiosum fecistis me Chanaanis & Pherezæis habitatoribus hujus. Nos pauci sumus. Illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. Et dum moriens benediceret filiis suis, de Simeone & Levi sic loquitur Genes. 49. Simeon & Levi Fratres, vasa iniquitatis bellantur. In consiliis eorum non veniat anima mea, & in cetu illorum non sit gloria mea: Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël.“ Quae verba juxta Hieronymum in Traditionibus Hebraicis intelliguntur de caede Sichimitarum per Simeonem & Levi.

Dices 1. Jacob Genes. 48. v. 22. dicit filio Joseph: Do tibi partem unam extrâ fratres tuos, quam tibi de domo Amorrhæi in gladio & arcu meo. Quod sic vertunt septuaginta Interpretes: Do tibi Sichimam præcipuum supra fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo, & sagitta. Amorrhæi autem erant Sichimitæ. Si ergo Jacob judicasset bellum contra Sichimitas injustum, eorum urbem non retinisset, nec legasset filio suo Joseph, sed legitimis dominis restitisset: ergo. R. partem illam, quam Jacob præcipuum dedit Joseph, non fuisse urbem Sichem, sed partem agrî vicini, quam centum agnis emerat a popularibus Hemor Genes. 33. v. 19. Vox enim Sichem, quam usurpant septuaginta Interpretes, est ambigua significationis. Quando sumitur ut nomen proprium, significat urbem Sichem; quando sumitur ut nomen appellativum, significat partem. Sic autem hic accipi constat, non solum ex S. Hieronymo, & latina versione, sed ex Syriaca & Arabica, & ex Paraphrasi Caldaica. Dicit autem Jacob, se eam tulisse in gladio & arcu; quia, licet eam primo pretio emerat a popularibus Hemor, postea tamen Amorrhæos e vicino agro armis expulit, quia illam injustè eripuerant a Sichimitis. Neque verum est Hemor & Sichem fuisse Amorrhæos; erant enim juxta Scripturam Hevæi. Insuper incredibile est Jacob, qui invasionem urbis Sichem tanquam injustam suis filiis exprobravit, & cujus auctoribus Simeoni & Levi cap. seq. moriens maledicit, urbem hanc retinuisse, de ejus invasione gloriari, & eam Josepho tanquam suam dedisse.

Dices 2. Judith c. 9. laudat zelum Simeonis in invasione & eversione urbis Sichem. R. Judith hanc in re sensum Scripturæ non attigisse, vel tantum spectasse primum propositum Simeonis & Levi, quo intendebant justè ulcisci stuprum Dinæ & familie dedecus. Nec obstat, quod Judith dicat, Deum illos adjuvisse; sæpè enim Deus adjuvat temporaliter peccatores.

TRACTATUS DE PRUDENTIA.

D. Thom. a. Q. 47. ad 56.

Quamvis Prudentia sit virtutum cardinalium prima & nobilissima, pauca tamen scitu necessaria ad praxim de ea occurrunt dicenda: quapropter, quæ fusè discutit S. Doctor, ea nos compendiosè tractabimus.

DISSERTATIO I.

DE PRUDENTIA SECUNDUM SE.

ARTICULUS I.

Quid sit Prudentia?

Prudentia dicitur est a providendo; quia prudens, inquit Isidorus l. 10. Etymolog. dicitur quasi porrò videns; perspicax est enim, & incertorum providet casus. (Q. 47. a. 1. o.) Dupliciter sumi potest: (Ib. a. 2. ad 2.) largius pro qualibet cognitione veri ad mores pertinentem, sive sit speculativa, sive practica; quo sensu comprehenditur fidem, & Theologiam, ac sæpè in Scripturis vocatur sapientia. 2. Sumitur scilicet pro notitia practica proximè morum directrice. De ea sic sumpta hic agimus.

Dico 1. (Ib. ad 1. & 2. in a. s. c.) Prudentia variè a variis definitur. Ab Aristotele 6. Et hic. c. 5. Habitus cum ratione vera circa bona humana activus. Item: Recta ratio agibilium. Ab Aug. l. 83. Q. Q. Cognition rerum appetendarum, & fugiendarum. Ab aliis, Virtus intellectiva, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe. Item: Habitus intellectus humanarum actionum secundum rectam rationem directivus in omni eventu. Hæ omnes definitiones in idem redeunt, & sunt bonæ; patebit ex sequentibus.

Dico 2. Prudentia non subiectur in appetitu, sed in intellectu practico. (Ib. a. 1. & 2. 1.) Prima pars patet ex ipso nomine; (Ib. a. 1. o.) Prudentia enim, ut notatum est, dicitur a visione; visio autem non est virtus partis appetitivæ, sed cognoscitivæ: ergo Prudentia pertinet ad vim cognoscitivam, non equidem sensitivam; quia per sensitivam cognoscuntur solum ea, quae præsto sunt, & sensibus offeruntur per prudentiam vero cognoscuntur futura ex præsentibus, vel præteritis, quod fit per quamdam collationem; proindeque pertinet ad rationem, seu intellectum.

Probatur 2. pars (Ib. a. 2. o.) Prudentis est posse bene consilium; atqui consilium est de his, quae sunt per nos agenda in ordine ad finem; & ratio eorum, quae sunt agenda propter finem, est ratio practica: ergo.

Dices contra 1. partem. Prudentia est cognoscitiva singularium, cum ad ipsam pertineat applicatio ad operationem: operationes autem sunt in singularibus, & nullas posset rectè applicare, nisi cognoscat id, quod applicat, & id, cui applicat; atqui intellectus non est cognoscitivus singularium, sed universalium tantum; cognoscere autem singularia est cognitativæ: ergo. R. (Ib. a. 3. o.) Prudentiam equidem esse cognoscitivam nedum singularium, sed & universalium, quatenus applicat universalia principia rationis ad singularia. Sed D. Min. Intellectus non est cognoscitivus singularium directè, C. indirectè, N. (I. P. Q. 86. a. 1. o. & q. 10. de verit. a. 5. o.) Fateor itaque, intellectum pro hoc statu conjunctionis ad corpus non cognoscere directè singularia; quia id directè cognoscitur, quod directè per speciem intelligibilem representatur; per speciem autem intelligibilem, cum sit abstracta a conditionibus individuantibus, non representantur directè singularia, sed naturæ dumtaxat universales. Potest tamen indirectè, & per quamdam reflexionem singularia cognoscere, quatenus cognoscendo objectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, & ulterius in speciem, quæ est sui actus principium, & ulterius in phantasma, a quo species est abstracta, & sic aliquam cognitionem de singularibus accipit.

Dico 3. Prudentia est vera, & specialis virtus ab aliis

distincta. (Ib. a. 4. & 5. o.) Prob. 1. Pars. Virtus est, quæ bonum facit habentem, & ejus opus bonum reddit; atqui talis est prudentia: ergo. (Ib. a. 4. o.) Confirmatur, & simul probatur Min. Prudentia est mensura, & regula aliarum virtutum moralium, rationem virtutis in eis imprimens: ergo ipsa non potest non esse virtus. Prob. ant. sic, v. gr. Jejunium non est actus virtutis temperantiae, nisi fiat secundum leges prudentiæ, scilicet eo loco, tempore, modo, & circumstantiis, quas prudentia dicat, & determinat; & sic de cæteris.

Explicatur magis notio virtutis Prudentiæ. Virtutes morales, quæ sunt in appetitu, sufficienter quidem inclinant hominem ad sua objecta ut sic, nimirum justitia ad reddendum cuique jus suum, fortitudo ad fortiter agendum in periculis, temperantia ad temperatè vivendum; sed quia non est vere virtus opus, nisi servet medium rationis, hoc est, nisi vestiatur omnibus debitis circumstantiis, præta, nisi fiat quando, ubi, quomodo, quantum, &c. fieri debet; necesse est, aliam esse virtutem in intellectu, quæ suo lumine præfatas virtutes dirigat in attingendo medio rationis, indicando scilicet media congrua, & circumstantias debitas, cum quibus debeat fieri opus virtutis. Et ea est virtus, quam dicimus prudentia.

Prob. 2. (Ibid. a. 5. o.) Pars conclusionis. Prudentia habet speciale objectum formale, nimirum agibile in omni materia virtutum ut conforme appetitui recto; atqui virtutes distinguuntur per objecta formalia: ergo. Insuper variè differt prudentia a cæteris. (Ibid.) Ab intellectuallibus in eo, quod sapientia, scientia, & intellectus sint circa necessaria, ars autem, & prudentia circa contingentia; sed ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus, & ejusmodi; prudentia autem est circa agibilia, quæ in ipso operante permanent, ut videre, velle, & ejusmodi. Ab aliis virtutibus moralibus distinguitur, quod iste sint in appetitu; earumque actus eliciti sit appetitio; prudentia vero in intellectu, ejusque actus eliciti sit notitia. Undè sequitur alia differentia, quod prudentia sit regula aliarum virtutum moralium, quia actus appetitus dirigitur per intellectum.

Sed petes, sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? utrumque enim videtur astruere hic S. Thom. 1. primum a. 5. ad 3. secundum a. 4. c. Fieri autem nequit, ut eadem virtus respiciat suum objectum sub diversa ratione formali. R. Prudentiam respicere primò, & essentialiter suum objectum sub ratione veri practici; consequenter, & secundariò sub ratione boni, in quo nulla est implicancia. Pro cuius intelligentia.

Nota (1. 2. q. 57. a. 5. ad 3.) aliud esse verum speculative, aliud practicum. Verum speculative attenditur per conformitatem intellectus ad rem, ut scilicet intellectus concipiat, & enuntiet rem sicuti est. Practicum per conformitatem ad appetitum rectum, ut scilicet intellectus concipiat, & enuntiet id, quod est conforme appetitui recto. Prudentia itaque primò attingit suum objectum sub ratione veri practici. Quia, ut dictum est, ejus objectum est agibile, & conforme appetitui recto, adeoque practice verum, & sub hac ratione est virtus intellectualis, cui non subest falsum.

Et quia non cognoscit istud honestum, seu conforme appetitui recto, ut in ejus cognitione sistat, sed ut illud per alias virtutes morales operetur, quod est bonum, ideo secundariò respicit suum objectum sub ratione boni; sicque ratione materiæ, & finis est virtus moralis, non quidem elic-

citiva morum, ut alie virtutes, iustitia, fortitudo, & temperantia, sed directiva morum.

Dices 1. Iudicium prudentie potest esse falsum, ut patet in congressu Jacob cum Lia: ergo prudentia non respicit suum obiectum sub ratione veri. R. Nego, iudicium proprium prudentie posse esse falsum, cum ipsa supponat rectitudinem appetitus, cui conformiter iudicat. Fuit ergo error speculativus in Jacob, quod crediderit, hanc, que ipsi offerebatur, esse suam, non est hoc iudicium prudentie; sed quod, posito hoc errore inculpato, & aliis circumstantiis, iudicaverit honestum esse accedere ad eam, que ipsi offerebatur, hoc fuit iudicium prudentie, nec falsum, sed conforme appetitui recto, ideoque non peccavit. Non obstant etiam, quod, qui prudenter egerunt, quandoque postea dubitent, an bene egerint. Hoc enim dubium sequens, ortum vel ex oblivione alicuius circumstantie, vel ex novae supervenientis consideratione, vel ex eo, quod non simus absolute certi, quod prudenter egerimus, non facit, quod iudicium precedens, si verum fuerit ex prudentia, sit falsum.

Dices 2. Prudentia versatur circa singularia, de quibus certitudo haberi non potest, tum quia sunt contingentia, tum quia sunt infinita, que ratione comprehendi non possunt. Unde Sapientia g. dicitur providentia nostre incertae: ergo. R. Iudicium prudentie propter rationes objectas non posse esse nobis certum certitudine physica, sed hoc non requiritur ipi moralibus. (Hic a. 3. ad 2. & a. 9. ad 2.) Potest autem nobis esse certum certitudine morali, quia per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita, que ut in pluribus accidunt. Insuper dicuntur providentia nostre incertae propter incertitudinem eventus; quantumvis enim prudenter agamus, non semper attingimus scopum, quem intendimus.

ARTICULUS II

De Actibus Prudentie.

Dico: (Ib. a. 3. o.) Actus, seu functiones prudentie sunt bene consulere, recte iudicare, & imperare, qui ultimus est precipuus, quia est propinquior fini rationis practice. Explicatur: (Ibid.) Prudentia primo consulat, seu quaerit, que media, que circumstantie sint necessariae, ut opus fiat honeste, & secundum virtutem, quod est ipsius finis. Deinde iudicat, & concludit, hac media quaesita, & inventa esse bona, & convenientia, v. gr. tantum, tali loco, tempore, modo esse restituendum, esse abstinendum, &c. Et tandem ea iudicata imperat movendo virtutes morales ad eorum executionem. Hi autem actus, (Ibid. a. 9. o.) ut bene fiant, debent fieri cum sollicitudine, & diligentia, prout conditio personae, & negotii requirit. Quia prudentia est adhibere omnes circumstantias, & omnia necessaria, ut operatio honeste fiat; quod sine magna diligentia fieri nequit. Unde nemo dicitur prudens, qui sive in consultando, sive in iudicando, sive in exequendo diligentiam debitam pro gravitate rei, & conditione personae non adhibuerit; quam si adhibuerit, & fecerit quod poterit, licet speculative erret, iudicium tamen est prudens, & non peccabit, ut iam supra dictum est.

cium tamen est prudens, & non peccabit, ut iam supra dictum est.

Dices: Ceterarum virtutum moralium est imperare prudentie. Prob. Ant. Virtutes morales versantur circa finem, prudentia circa media; atque virtus, que est circa finem, imperat virtuti, que est circa media: sic ars militaris imperat equestri, equestris frenologica, & sic de ceteris: ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Maj. (Hic a. 6. & 7. o. & 1. 2. q. 66. a. 3. ad 3.) Prudentia versatur circa media tantum, N. Ant. circa media & finem, C. Ant. Explicatur. Finis virtutum moralium potest considerari dupliciter, in communi, & in particulari. In communi, ut esse temperate vivendum, iuste agendum, fortiter patiendum; & sic non prescribitur a prudentia, sed a synderesi, que est habitus primorum principiorum moralium; proposita enim per synderesim honestate, que est in temperate vivendo, appetitus humanus potest illi allici, & firmiter velle sic vivere, quod firmum propositum, & habitus permanens est virtus. Si autem loquamur de fine particulari, & in certo casu; quod v. gr. quantum, quo modo, loco, & tempore sit agendum, ut attingatur medium rationis, quod est particularis finis virtutis moralis, hunc prescribit prudentia; quatenus non solum dicit media, quibus attingatur hic finis, sed etiam dicit, & jubet, ut per illa in eum tendatur, & attingatur.

Petes, utrum prudentia sit in solis iustis, an etiam in peccatoribus? Ant. Resp. nota (Hic a. 13. & 14. o.) prudentiam aliam esse acquisitam, seu naturalem, que non excedit limites rationis naturalis, & versatur circa finem naturalem; aliam infusam, seu supernaturalem, que excedit limites rationis universalis, & versatur circa finem supernaturalem, scilicet vitam aeternam. Acquisita alia est falsa, seu per similitudinem dicta, qua quis disponit bene media ad malum finem, puta, ad latrocinandum, quo enim sensu dicitur bonus latro, eodem dici potest prudens latro. Alia vera, & hac duplex; una imperfecta, qua quis advenit vias accommodatas ad aliam finem particularem, puta, ad negotiandum, ad navigandum, & dicitur prudens negotiator, aut nauta: alia perfecta, que ad bonum finem totius vite recte consiliatur, iudicat, & precipit. His notatis.

R. 1. Prudentia falsa in materia mortali est in solis peccatoribus. (Ib. a. 13. o.) Patet. 2. Prudentia (Ibid.) vera, sed imperfecta, est communis bonis, & malis. (Ibid.) Patet etiam. 3. Prudentia perfecta acquisita non est in peccatoribus: quia peccando etiam in uno tantum, licet non perdat prudentiam secundum rationem habitus, perdit tamen secundum rationem prudentie perfectae, que requirit in omni opere iudicium conforme appetitui recto. 4. Prudentia (Ibid. a. 14. o. & ad 3. & 1. 2. q. 65. a. 2. o.) infusa est in solis, & omnibus iustis quantum ad ea, que sunt de necessitate salutis. Patet utraque pars: quia prudentia infusa non potest esse sine charitate, qua homo bene se habet circa ultimum finem totius vite, nempe Deum: Charitas autem est in solis, & omnibus iustis. Quantum ad prudentiam acquisitam non est in omnibus iustis, quia causatur exercitio actuum, ad quod requiritur experimentum, & aetas.

DISSERTATIO II.

DE PARTIBUS PRUDENTIAE.

Div. Thom. QQ. 48. 49. 50. 51.

ARTICULUS I

De partibus Prudentie in genere.

Dico. Partes prudentie, non secus, ac cuiusvis alterius virtutis moralis, sunt triplicis generis, scilicet integrales, subjectivae, & potentiales. (Q. 48. a. unico o.) Partes integrales, dicuntur, (Ibid.) non quod ex eis tantquam ex partibus conflatur unus habitus potentiae, sicut domus v. gr. integratur ex pariete, tecto, & fundamento; est enim prudentia una virtus, unus habitus, non aliquid ex multis habitibus conflatum. Sed dicuntur partes integrales ad similitudinem partium integralium, ut scilicet ea dicantur partes integrales prudentie, quibus non est perfectus actus, seu usus prudentie; sicut non est

perfecta domus sine partibus suis integralibus. Et sic numerantur octo: nempe, Memoria, Intellectus, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, & Cautio.

Partes subjectivae (Ibid.) sunt species, in quas dividitur prudentia ut sic: & sunt duae, scilicet prudentia personalis, per quam quis regit seipsum; & prudentia politica, seu gubernatrix, per quam aliquis regit multitudinem. Haec dividitur in diversas species, secundum diversas species multitudinis. Est autem quedam multitudo adunata ad aliquod speciale negotium, sicut exercitus congregatur ad pugnandum, cuius regula est prudentia militaris. Quaedam vero multitudo est adunata ad totam vitam, sicut multitudo unius domus, vel familiae, cuius regula est prudentia oeconomica. Est etiam mul-

titudo unius civitatis, vel regni, cuius regula est in Principe Prudentia regnativa, in subditis Prudentia politica, recte communi nomine. Partes potentiales (Ibid.) Prudentie dicuntur virtutes adjunctae, quae ordinantur ad aliquos actus secundarios vel quosdam, quasi non habentes totam potentiam Prudentiae, & sunt tres; Eubulia, quae est circa consilium; Synesis, quae est circa iudicium eorum, quae secundum regulas communes fiunt; & Gnome, quae est circa iudicium eorum, in quibus oportet quandoque a communi lege recedere. Prudentia vero est circa principalem actum, qui est precipere.

ARTICULUS II

De Partibus integralibus Prudentie.

Dico: Octo partes assignatae, scilicet Memoria, Intellectus, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, & Cautio, sunt partes quasi integrales Prudentiae. (Q. 49. per 8. a.) quia sunt necessariae ad perfectum actum, seu usum Prudentiae, ita ut qui illis sunt praediti, sint alii prudentiores.

Prob. de singulis. 1. Memoria, (Ib. a. 1. o.) quae hic sumitur, non pro potentia memorativa, sed pro ipsa recordatione praeteritorum, necessaria est ad perfectum usum Prudentiae, quia, cum Prudentia versetur circa operabilia contingentia, homo debet in eis dirigi ex his, quae ut in pluribus accidunt. Quod autem sit in pluribus verum, oportet pro experimentum considerare, & experimentum est ex plurium rerum memoriis: ergo ad Prudentiam requiritur memoria. 2. Intellectus, seu Intelligentia (Ib. a. 2. o. & ad 1. & q. praec.) hic non sumitur pro potentia cognoscitiva, neque pro virtute intellectiva, sed tum pro cognitione praesentium, tum pro recta aestimatione alicuius finis, aut principii moralis particularis: & hanc concurrere ad perfectum usum Prudentiae, patet; quia ut quis prudenter iudicet, necesse est, ut praesentem rei statum bene perspectum habeat, & recte cognoscat principium morale, quod conclusioni practicae applicet. 3. Docilitas: quia ut dicitur est, (Hic a. 3. o.) Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus, cum sint quasi infinitae diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his, quae ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, & precipere ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Hoc autem pertinet ad Docilitatem, ut aliquis sit bene disciplinae susceptivus. 4. Solertia (Ibid. a. 4. o.) est facilis & prompta conjecturatio circa inventionem medii congruentis, maxime ubi aliquid ex repente occurrit agendum. Id autem multum conducere ad Prudentiam, evidens est.

5. Ratio: Quia opus prudentis est esse bene consiliativum: (Ib. a. 5. o.) Consilium autem est inquisitio quaedam ex quibusdam ad alia procedens, quod est opus rationis. Unde ad Prudentiam necessarius est, quod homo sit bene ratiocinativus. 6. Providentia: (Ibid. a. 6. o. & ad 1.) vel sumitur pro ordinatione mediorum ad finem, vel pro consideratione futurorum eventuum, qui possunt sequi ex opere: & patet, utroque modo concurrere ad perfectum actum Prudentiae. Consule, si lubet, Caetani hinc. 7. Circumspectio est attenta consideratio circumstantiarum. (Ib. a. 7.) Contingit enim aliquid, secundum se consideratum, esse bonum & convenientis fini, quod tamen ex aliquibus circumstantiis redditur vel malum, vel non opportunum ad finem. Unde patet, quod circumspectio sit prudentiae necessaria. 8. Cautio est cura vitandi mala & impedimenta, quibus ab extrinseco opus virtutis vitari, aut impediri posset, quod pertinet ad perfectam Prudentiam (Ib. a. 8. o.)

ARTICULUS III

De partibus subjectivis Prudentie.

Jam notavi Art. 1. Prudentiam dividi in Prudentiam personalem, & politicam, seu gubernatricem, tamquam in partes subjectivas, seu species. Politicam, seu gubernatricem in Regnativam, Oeconomicam, Militarem, & Politicam specialiter dictam. Questio est modo, utrum sint vere & distinctae species Prudentiae.

Dico 1. Prudentia personalis est species Prudentiae distincta a Prudentia politica, seu gubernatrix. Quia habent diversos fines, nempe bonum proprium, & bonum Theol. Billuart. Secunda Secundae.

commune: ex respectu autem ad diversos fines specificantur & distinguuntur habitus. (Q. 47. a. 11. o.) Nec obstat, (Ibid. ad 3.) quod Prudentia respiciens bonum proprium etiam respiciat bonum commune, quatenus bonum proprium, quod est partis, est etiam bonum totius. Respicit enim bonum commune consequenter tantum & mediate; Prudentia autem politica illud respicit per se & immediate. Sic, licet ars equestris respiciat consequenter & mediate bonum commune exercitus, differt tamen specie ab arte militari.

Dico 2. (Q. 50. a. 1. o.) Prudentia regnativa est vera species Prudentiae. Quia, ubi invenitur specialis ratio regiminis & praecipui in humanis actibus, ibi invenitur specialis ratio Prudentiae, cum ad Prudentiam pertineat regere & precipere; atque in eo, qui non solum seipsum habet regere sed etiam communitatem perfectam Civitatis, vel Regni, invenitur specialis & perfecta ratio regiminis. Tanto enim regimen perfectius est, quanto universalius est, ad plura se extendens, & ulteriorem finem attingens; & ideo Regi, ad quem pertinet regere Civitatem, vel Regnum, Prudentia competit secundum specialem & perfectissimam sui rationem; ergo.

Dico 3. (Ib. a. 3. & 4.) Prudentia oeconomica & militaris sunt diversae species Prudentiae. Prob. eadem ratione. Quia versantur circa diversa objecta, nempe circa diversas multitudines diverso modo regendas. Oeconomica circa familiarum in ordine ad domesticam conversationem: Militaris circa exercitum in ordine ad resistendum hostium insultibus pro defensione boni communis.

Dico 4. (Ibid. a. 2. o.) Prudentia politica specialiter dicta, ea nempe, qua subditi regunt seipsum in ordine ad bonum commune obediendo principiantibus (hac enim, ut dixi, retento communi nomine, vocatur politica) est etiam species distincta Prudentiae; quia habet distinctum obiectum, nempe seipsum, & id, quod ad suum privatum officium spectat, regere secundum praecipua Majorum ad bonum commune; cum e contra Princeps, aut Major precipiendo respiciat omnia simul, quae singulos subditos spectant.

ARTICULUS IV.

De Partibus potentialibus Prudentie.

Dixi Art. 1. partes potentiales Prudentiae esse virtutes ei annexas, quae ordinantur ad aliquos actus secundarios, nec habent totam potentiam Prudentiae, & esse tres, Eubuliam, Synesim, & Gnomem. Eubulia sic nominatur ab Eub, quod est bonum, & bule, quod est consilium; quasi diceretur bona consultatio, vel potius bene consiliativa (Q. 51. a. 1. o.)

Dico 1. Eubulia est virtus distincta a Prudentia. (Ibid. a. 1. & 2. o. Ibid. art. 1. o. Ib. a. 2. o.) Prima Pars patet: quia facit opus humanum, nempe consulere esse bonum, quod est proprium virtutis. Prob. 2. Pars. Ubi sunt diversi actus, non habentes eandem rationem bonitatis, ibi ponenda sunt diversae virtutes; atque actus Eubuliae est diversus ab actu Prudentiae, non habens eandem rationem bonitatis, cum possit ab eo separari, ut patet in eo, qui est bene consiliativus, & non est bene praecipuus: ergo. Quia tamen consilium ordinatur ad precipere tamquam ad principium, ita etiam Eubulia ordinatur ad Prudentiam tamquam ad principalem virtutem, & sic est virtus ei adjuncta, seu pars ejus potentialis (Ibid.)

Dices: Bene consilium est actus Prudentiae, ut diximus supra: ergo Eubulia non est virtus distincta a Prudentia. R. D. Ant. (Ibid. ad 1. & 1. 2. q. 57. a. 6. ad 1.) Bene consilium est actus Prudentiae elicivus, N. Ant. imperatus G. Non quidem hoc sensu, quod in intellectu sit actus imperans ipsam consultationem, quasi ab ipsa distinctus, sed hoc sensu, quod Prudentia consultationem perficiat mediante Eubulia ut virtute sibi subjecta; quod autem facit per virtutem sibi subjectam, censetur facere per imperium.

Dico 2. Synesis, quae est virtus bene iudicativa de operabilibus secundum regulas communes, est distincta ab Eubulia, & Prudentia, quia ab ipsis est separabilis. Contingit enim, quosdam esse bene consiliativos, qui non sunt bene iudicativi, & quosdam esse bene iudicativos, qui non sunt bene praecipui (Hic a. 3. o.)

Dico 3. Gnome est specialis virtus distincta a Synesi (Ibid. a. 4. o.) Prob. Synesis, ut dixi, est virtus bene iudicativa secundum leges, & regulas communes: (Ibid.) Gnome autem est virtus bene iudicativa secundum al-

tiora principia in iis, in quibus aliquando recedendum est a lege communi licet non a mente legislatoris, puta, depositum non esse reddendum impugnatore Patriæ, quod quidem est contra legem communem, non tamen contra mentem legislatoris. Virtus, quæ huic respondet in voluntate, vocatur *Epikieia*.

APPENDIX.

De Dono Consilii correspondente Prudentiæ.

Petes, quid sit Donum consilii, & utrum Prudentiæ correspondeat? R. Dona Spiritus S. ut habetur 1.

DISSERTATIO III.

DE VITIIS OPPOSITIS PRUDENTIÆ.

Div. Thom. QQ. 53. 54. & 55.

Duplicis generis sunt vitia Prudentiæ opposita. (Q. 53. in *proemio*.) Quædam ipsi opponuntur per defectum; quædam, quæ habent similitudinem cum illa, ipsi opponuntur per excessum, seu per abusum eorum, quæ ad Prudentiam requiruntur.

ARTICULUS I.

De Vitiis oppositis Prudentiæ per defectum.

Dico (Q. 53. & 54.) Prudentiæ opponitur per defectum Imprudentia. Sub Imprudentia continentur Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia. Ad hæc alia reducuntur. Explicatur. Imprudentia (Quæst. 53. a. 1. & 3. o.) sumi potest tripliciter. 1. Negativè pro sola carentia Prudentiæ; & sic potest esse sine peccato; ut patet in pueris. 2. Privatè pro carentia Prudentiæ, quam quis natus est & debet habere; & hoc modo est generale peccatum per participationem; si autem Prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum; ita & imprudentia in omnibus vitiis & peccatis: nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo acto rationis dirigentis. 3. Sumi potest Imprudentia contrariè, secundum quod ratio directe movetur & agit contra Prudentiam spernendo & repudiando consilium, aut divina documenta: & hoc modo Imprudentia est speciale peccatum, & quidem mortale in confessione exprimentum, si sit gravis contemptus divinarum Regularum; alioquin est tantum veniale.

Præcipitatio (*Ib. a. 3. o.*) in actibus animæ metaphoricè dicitur secundum similitudinem a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundum corporalem motum, quod a superiori in ima pervenit, secundum impetum quemdam proprii motus, vel alicujus impellentis, non ordinatè descendendo per gradus. Summum autem animæ est ipsa ratio, imum est operatio per corpus exercita; gradus mediū sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas, per quam aliquis acquiescit sententiis majorum; per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit rectè consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransiit hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est, quod vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

Inconsideratio (*Ib. a. 4. o.*) est; cùm quis contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit: unde manifestum est, quod sit peccatum ad imprudentiam pertinens. Inconstantia (*Ib. a. 6. o.*) importat recessum quemdam a bono proposito definito; & quamvis hujusmodi recessus principium habet a vi appetitiva, non enim aliquis recedit a bono proposito nisi propter aliquid, quod sibi inordinatè placet; non consummat tamen nisi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc, quod repudiat id, quod rectè acceptaverat. Unde inconstantia secundum sui consummationem ad imprudentiam pertinet. Et sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilii, & inconsideratio circa actum iudicii, ita

2. q. 68. art. 1. Sunt quædam dispositiones, quibus anima redditur benè & facillè mobilis a Spiritu S. præcipue in arduis, quæ salutem pertinent (*Quæst. 52. a. 1. o.*) Igitur Donum consilii est lumen quoddam, quo quasi consilio a Deo accepto, homo videt, quid sit agendum in ordine ad salutem. Unde, sicut per Prudentiam, seu Eubuliam homo est benè consiliatus, ita per Donum consilii est benè consiliatus: sicut in humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilii, requirunt a sapientioribus consilium. (*Ibid. a. 2. o.*) Ex quo patet, Donum consilii correspondere Prudentiæ sicut ipsam adjuvans & perficiens.

inconstantia circa actum præcepti. Ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quod ratio deficit in præcipiendo ea, quæ sunt consiliata & iudicata. Hæc autem vitia (*Ib. a. 6. o.*) oriuntur potissimum ex luxuria; quia perfectio Prudentiæ, sicut & cujuslibet virtutis intellectualis, consistit in abstractione a sensibilibus: delectatio autem maxima, quæ est in veneris, totam animam absorbet, & trahit ad sensibilem delectationem, & ideo maxime corrumpit æstimationem Prudentiæ.

Negligentia potest sumi dupliciter (*Quæst. 54. a. 1. & ad 2. & art. 2. o.*) 1. Generaliter, pro omissione cujuscumque actus debiti, & sic non opponitur Prudentiæ, sed virtuti, in cuius materia versatur; ut negligentia in restituendo iustitiæ. Sumitur 2. pro defectu sollicitudinis requisitæ in actu interiori intellectus ad excitandam & dirigendam voluntatem in executionem boni operis consilii & iudicati; & sic opponitur Prudentiæ. Negligentia hoc 2. sensu sumpta (*Ibid. a. 2. ad 1. 2. & 3.*) distinguitur ab omissione, pigritia, torpore, & inconstantia in hoc, quod negligentia consistat, ut dixi, in defectu inferioris actus rationis non præcipientis, quod debet, aut eo modo quo debet. Omissio autem pertinet ad exteriorum actum: pigritia & torpor pertinent ad executionem, ita tamen quod pigritia importat tarditatem ad exequentium, torpor autem remissionem quamdam in ipsa executione. Tandem inconstans deficit in præcipiendo quasi ab aliquo impeditus; negligens verò per defectum propriæ voluntatis.

ARTICULUS II.

De vitiis oppositis Prudentiæ, quæ habent similitudinem cum illa, & ipsi opponuntur per excessum.

Dico: Vitia Prudentiæ opposita per excessum sunt Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, & nimia sollicitudo de temporalibus & futuris (Q. 55. per 7. a.) Explicatur: Prudentia carnis (*Ib. a. 1. & 2. o.*) dicitur, secundum quod quis providet media idonea ad perficienda opera carnis; est peccatum, ut patet, & quidem mortale, cùm in operibus carnis constituitur ultimus finis: alius est tantum veniale. Astutia, propriè dicta (*Ib. a. 3. o.*) est, cùm quis ad finem aliquem consequendum sive bonum, sive malum, excogitat non veras vias, sed simulatas & apparentes; unde est quoddam peccatum Prudentiæ oppositum, & distinctum a Prudentia carnis; quia hæc deordinatur circa finem, illa circa media. Dixi *Astutia propriè dicta*: quia quandoquæ Astutia abusive sumitur pro circumspeditione, ut Prov. 1. *Ut detur parvulis astutia, & 13. Astutus omnia agit cum consilio (Ib. ad 1.)*

Dolus & Fraus sunt Astutiæ executio; Fraus per facta, Dolus principaliter per verba, licet etiam quandoquæ per facta: unde hæc vox *Dolus* est generalis completens sub se fraudem (*Ib. a. 4. & 5. o.*) Sollicitudo importat studium quoddam ad aliquid consequendum, vel conservandum (*Ib. a. 6. & 7. o.*) Potest tripliciter esse illicita circa temporalia & futura. Uno modo, si temporalia tanquam finem queramus ea præponendo spiritualibus; secundo, si superfluum studium ad ea acquirenda, vel conservanda adhibeatur; tertio, sit timor & an-

xieta, ne faciendo, quod fieri debet, necessaria nobis deficiant. Non ergo omnis sollicitudo circa temporalia & futura est damnanda, sed immoderata dumtaxat, quam damnat Christus Matth. 6. Hinc Hieron. in hunc locum: *Labor exercendus est, sollicitudo tollenda.* Nimirum superflua, & animum inquietans.

APPENDIX.

De Præceptis Prudentiæ.

Dico (Q. 56. a. 1. o. & ad 1.) Non fuit conveniens, ut inter præcepta Decalogi aliquid præceptum poneretur ad Prudentiam directè pertinens: quia præcepta Decalogi, sicut sunt data omni Populo, ita etiam statim ab omnibus apprehendi debent quasi ad naturalem rationem pertinentia; cuiusmodi sunt quidam generales fines humanæ vitæ, & ea, quæ omnibus promiscuè apparent

quod sint debita. Prudentia autem non est circa tales fines, sed circa media, ut dicitur est; nec omnibus promiscuè est manifestum, quod ejus actus sint debiti, sicut est manifestum de actibus Iustitiæ. Dixi: *Ad Prudentiam directè pertinens*: quia indirectè omnia Præcepta Decalogi ad eam pertinent, secundum quod ipsa est directiva virtuosorum actuum (*Ib. o.*) Verum, licet inter præcepta Decalogi non exprimat præceptum de Prudentia, & alibi tamen & in veteri Testamento (*Ibid. ad 2. & 3.*), sed & maxime in novo, in quo continetur doctrina perfectionis, exprimitur. Prov. 4. *In omni possessione tua acquire Prudentiam.* cap. 9. *Ambulate per vias Prudentiæ.* cap. 16. *Acquire Prudentiam, quæ est pretiosior auro.* Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Ad Tit. 2. *Loquere, quæ decent sanam doctrinam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes.* 1. Petri 4. *Estote prudentes & vigilate in orationibus.* Et alibi.

Hæc de Prudentia sufficiant.

TRACTATUS
DE JURE ET JUSTITIA.

Div. Thom. a Quæst. 77. ad 78.

DISSERTATIO I.

DE JURE.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Jus.

Dico 1. Variè accipitur nomen Juris (Q. 53. a. 1. o.) 1. Pro eo quod iustum est: iustum autem dupliciter sumitur; generaliter pro eo quod est legi consonum; strictè pro æqualitate alteri debiti: dicitur enim vulgariter ea, quæ adæquantur, iustari; & Jus sic sumptum est obiectum iustitiæ, ut infra dicemus. Et quia consuetum est, (*Ibid. ad 1.*), quod nomina a prima sui impositione detorqueantur ad alii significanda, sicut nomen medicinæ v. gr. impositum est, 2. ad significandum remedium, quod præstatur infirmo ad sanitatem; deinde tractum est ad significandam artem, qua hoc fit: ita etiam hoc nomen Jus primo impositum est ad significandam ipsam rem iustam, seu rem alteri æqualem; postmodum autem derivatum est ad artem, qua cognoscitur, quid sit iustum: unde dicitur reddere Juri; & ulterius ad significandum locum, in quo Jus redditur, sicut aliquis dicitur comparare in Jure: & ulterius dicitur etiam quod Jus redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiam quod decernit, sit iniquum.

2. Jus accipitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, possidendi, alienandi, &c. cuius violatio constituit injuriam: quo sensu quis dicitur uti jure suo: est secundum se quid morale competens homini ex Dei, vel hominum ordinatione, sicut esse magistrum, Doctorem, Regem, &c. licet præsupponat aliquid Physicum, ut jus dicendi, v. gr. præsupponit scientiam. De hoc Jure 2. modo sumpto plures præmittimus Dissertationes, quia ab eo pendet Jus 1. modo sumptum, quod est obiectum Iustitiæ. Nihil enim est alteri debitum ad æqualitatem sine jure in altero, quia quod est debitum, est jure debitum; sunt enim correlativa Jus & debitum: & ideo hoc jus est fundamentum Juris, 1. modo sumpti seu justitiae & potest dici obiectum formale quo Iustitiæ, ut forte latius dicam suo loco.

3. Sumitur Jus pro lege, quæ est Regula justitiae in genere. Unde ab hoc jure pendet Jus, 2. modo sumptum: quod enim aliquis habeat jus ad aliquid, id ipsi tribuitur, vel a lege natura, vel a lege positiva, vel saltem ex concessione libera Dei, vel hominum. Quapropter

Dico 2. Jus, hoc triplici modo sumptum, potest eadem divisione dividi in Jus naturale & positivum. Et quantum ad Jus sumptum pro lege, patet; quia lex alia naturalis, alia positiva. Non potest Lex æterna, quia hæc divisio fit in membra omnino diversa; lex autem

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

naturalis non est quid omnino diversum a lege æterna, sed est ejus participatio in rationali creatura, ut docetur 1. 2. quæst. 91. artic. 2. ad 1. Jus naturale, aliud simpliciter naturale, quod oritur ex ipsa natura rei secundum se considerata, quod ratio naturalis intrinsecè ordinem naturæ manens dicitur, ut bonum faciendum, malum fugiendum, &c. Aliud connaturale gratiæ, quod oritur ex natura rei, seu hominis, non secundum se considerata, sed ut elevata ad ordinem gratiæ supernaturalis beatitudinem ordinata hujusmodi sunt præcepta de actibus virtutum Theologicarum, Christianæque Pœnitentiæ.

Lex, seu Jus positivum dividitur in divinum & humanum. Divinum aliud veteris, aliud novi Testamenti. Item aliud pertinens ad ordinem naturæ, a Deo tantum per speciale revelationem Jure naturali superadditum ad bonam Reipublicæ gubernationem, cuiusmodi erant Præcepta judicialia veteris Legis: aliud pertinens ad ordinem gratiæ, ut Jus, sive Lex de Baptismo, & de aliis Sacramentis. Jus positivum humanum dividitur in Jus Gentium, Jus Canonicum, & Jus Civile. Jus Canonicum, quod nos specialiter spectat, constat ex Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, & Sententiis Patrum. Quid sit censendum de Canonibus Apostolorum, & de Epistolis decretalibus veterum Pontificum, dicemus in Digressionibus ad calcem Dissertationis.

Jus, sumptum pro justo, similiter dividitur adæquatè in Jus naturale & Jus positivum (*Art. 2. o.*) Quia Jus sic sumptum est iustum, seu alteri adæquatum, atqui dupliciter potest aliquid esse alteri adæquatum, uno modo ex natura rei, puta, cùm aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat, & hoc vocatur Jus naturale: alio modo aliquid est alteri adæquatum, seu commensuratum ex beneplacito ponentium, ut, dùm dux persone private sic inter se paciscuntur, vel communitas consentit tale quid esse habendum pro justo, vel Princeps lege statuit ita esse; & hoc dicitur Jus positivum. Cæteræ subdivisiones ut in divisione Legis.

Jus, sumptum pro facultate legitima, &c. dividitur etiam ex parte principii in naturale, quod lege, vel consensu naturæ competit, & in positivum, quod lege positiva, vel libera Dei, aut hominum concessione competit. Cæteræ subdivisiones ut in divisione Legis. Item hoc Jus ex parte terminii, quem respicit, dividitur in Jus in re & Jus ad rem.

Jus in re est, quod quis habet in re jam sua & obtenta; unde dat actionem realem in ipsam rem. Ad hoc requiruntur tres conditiones: existentia rei, legitimus titulus

Dd 2 Jus,

Jus, ut emptio, donatio, &c. & traditio rei. Ita, exceptis quibusdam casibus, Jus disposuit *L. Traditionibus 20. c. de Pactis*: ibi *Traditionibus dominia rerum, non nudis Pactis transferuntur. Juncta Lege Numquam 31. ff. de acquir. rer. dom. ibi. Numquam nuda traditio transfert Dominium, sed ita si venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur.* Defectu primæ conditionis Beneficium v. gr. non habent jus in re factuum sequentis anni, quia nondum existunt. Defectu secundæ fures & usurarii non habent jus in re bonorum, quæ furto, aut usuris possideant, quia deest ipsis legitimus titulus. Defectu tertie ille, qui emit equum aut vestem v. gr. etiam persoluto pretio, non habet jus in re illius vestis, aut equi, quæ nondum sunt ipsi tradita. Unde, si venditor eandem vestem, aut equum alteri vendat & tradat, secundus emptor acquirit jus in re illis vestis, vel equi, nec primus emptor habet actionem realem in rem illam, quæ jam alterius effecta est; sed habet tantum actionem personalem in venditorem, qui tenetur ipsi satisfacere. Dixi: exceptis quibusdam casibus; quia ex dispositione Legum in certis casibus non requiritur traditio ad jus in re, seu dominium. 1. In iis, quæ dantur, venduntur, aut relinquuntur Civitatibus, Ecclesiis, locis piis, aut in redemptionem Captivorum, *L. Utrius cap. De Sacrosanctis Ecclesiis 2.* In collatione Beneficiorum, modo accedat acceptatio, c. *Si tibi absentis*. de Præbendis in 6. 3. In successione hæreditatis sive per Testamentum, sive ab intestato, modo adeatur hæreditas: aditur autem hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto. Similiter in legatis, quorum legatarius acquirit jus in re, hoc ipso quo hæreditas acceptatur ab hærede, *L. Officio 27. & L. Hæredes 23. ff. De acquirenda, vel amittenda possessione 4.* In Donatione fundi, agri, domus, &c. sub conditione præstandi alimenta donatori; hoc ipso enim quod donatarius conditioni non satisfacit, privatur dominio rei donatæ, reditque sine ulla traditione ad donatorem. *L. Si doceas 1. c. De donationibus quæ sub modo 5.* Si Princeps contrahat cum aliquo, & intendat ipso contractu conferre jus in re, seu dominium, erit translatum absque alia conditione. Quia, sicut ex ejus voluntate est, quod requiratur traditio, ita etiam ejus arbitrio potest omitti, ut docet Cov. l. 2. Variar. Re. c. 19. n. 3. Item Jus hypothecæ, vel pignoris confert actionem realem in hypothecam, vel pignus sine traditione. *L. 1. ff. De Pignoriis.* Item Lessius hic n. 13. ex Covarr. excipit casum, quo res tibi vendita & alteri tradita titulo gratuito, aut etiam titulo oneroso, sed scienti eam tibi antea venditam; tunc enim, inquit, possessio illam vendicare.

Jus ad rem est, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua: ad hoc nulla alia requiritur conditio, quam legitimus titulus. Non dat actionem in rem ipsam, sed in personam tantum. Tale jus acquiritur per donationem, emptionem, &c. ante traditionem. Item per electionem, præsentationem ad officium, collationem Beneficii ante acceptationem, &c. Hæc quoad jus in re & ad rem, Jure communi; huic autem Jura particularia quandoque derogant: unde notat Perfector Tournellii, in Gallia rem censi traditam peracto venditionis contractu, in quo testatur venditor se rei possessionem relinquere, & alteri cadere. De quo iterum in sequentibus.

ARTICULUS II.

In quo differunt Jus naturale & positivum: & quomodo Jus naturale dicitur immutabile?

Dico. In multis differunt Jus naturale & Jus positivum. 1. & præcipua differentia est, quod ea, quæ sunt Juris naturæ, idè sint præcepta, quia bona; idè prohibita, quia mala. Quæ vero sunt Juris positivi, idè bona, quia præcepta; idè mala, quia prohibita. Unde, ut dignoscas, an aliquid ad Jus naturæ pertineat, an ad Jus positivum, sit hæc regula. Si obligatio ad illud oritur ex natura rei, quæ præcipitur, vel prohibetur, quia nimirum aut in se necessaria est, ut fieri debeat, aut in se mala, ut omitti oporteat, ad Jus naturæ pertinet. Si vero non oritur ex natura rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, sed ex præcepto & voluntate jubentis, aut prohibentis, est a parte rei habeat quamdam congruitatem, pertinet ad Jus positivum. 2. differentia est, quod Juris naturalis Deus sit auctor, quatenus est naturæ auctor; unde vocatur etiam Jus Divinum. Positivi autem, Divini quidem, etiam Deus; humani, homo. 3. quod Jus naturæ obligat omnes; Jus positivum eos tantum, quibus vel a

Deo, vel ab omnibus ponitur. 4. quod Jus naturæ sit immutabile, Jus positivum mutabile.

Verum, ut intelligas, quomodo Jus naturæ sit immutabile, nota triplicis generis distingui præcepta Juris naturæ. Quædam sunt prima & universalissima, quæ sunt ista: *Declina a malo, & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; homini secundum dictamen rectæ rationis est videndum: & alia hujusmodi, quæ generaliter præscribunt necessariam honestatem, non determinatam ad certam materiam; vel prohibent turpitudinem, non in hac vel illa materia, sed universim.* Quædam sunt, quæ, licet non sint omnino prima & universalissima, sed ex ipsis immediate deducta, sunt tamen prima in certo genere, ita ut ex illis etiam multa deduci possint, ut *Deus est colendus: Parentes sunt honorandi: Virtutes sunt amplectende: Justitia est servanda: Temperatè vivendum est: Non est mendandum, non pejerandum, &c.* Quædam tandem sunt, quæ ex primis & communibus mediè, ex secundariis immediate deducuntur: ut depositum esse reddendum, talem contractum esse injustum, &c. Sic v. gr. bonum est faciendum: ergo Justitia servanda. Subsumo; atqui conservatio Justitiæ exigit redditionem depositi: ergo depositum esse reddendum. His notatis,

Dico 2. Prima & universalissima Juris naturæ Præcepta non possunt unquam mutari; quia in se continent primò intentionem Legislatoris; secundò malitiam bonitatem, & eorum opposita intrinsicam bonitatem, & consequenter veram causam, ob quam sunt necessario amplectenda, vel fugienda; neque ulla occurrit circumstantia, quæ mutationem inducere possit, cum circumstantiæ non occurrant circa prima & universalissima Principia, sed circa conclusiones practicas & actiones particulares. Idem dicendum de secundariis Præceptis, proit exposuimus: tum quia salvatur in eis ratio primorum per necessariam consequentiam; v. gr. bonum est faciendum; atqui colere Deum est bonum: ergo Deus est colendus. Malum non est faciendum; atqui pejerare est malum: ergo non est pejerandum. Tum quia ex circumstantiis, quæ etiam circa hæc non occurrunt, utpotè prima in suo genere non potest induci variatio. Quantum vero ad tertiaria Præcepta, etenim sunt mutabilia, quatenus non salvatur semper ex eis ratio primorum principiorum; neque semper ex eis legitime deducuntur propter circumstantias occurrentes, v. gr. bonum est faciendum: ergo Justitia est servanda: subsumo; atqui Justitia exigit, ut reddatur depositum petenti in sui vel alterius perniciem, ergo ipsi est reddendum. Negatur subsumptum: quia Justitia exigit dumtaxat, ut reddatur depositum rationabiliter petenti. Ubi advertere, hanc mutationem non accidere Juri naturæ secundum se, sed ratione materiæ, quæ propter circumstantias desinit esse ejus materia: semper enim & immutabiliter stat, bonum esse faciendum, justitiam esse servandam, depositum esse reddendum rationabiliter petenti, quæ sunt præcepta Juris naturæ.

ARTICULUS III.

Utrum Jus Gentium sit idem cum Jure naturali?

Dico 1. (*Hic a. 2. o.*) Si Jus naturale sumatur latè, proit quandoque sumunt Jurisconsulti l. 1. Inst. lit. 2. & l. 1. ff. lit. l. 1. pro omni eo, quod est ex instinctu naturæ habentis aliquam cognitionem finis, ut est v. gr. conjunctio maris cum femina, certum est, quod distinguatur a Jure Gentium: quia Jus Gentium solis hominibus convenit; Jus naturale vero, sic sumptum, convenit hominibus & brutis, siquidem bruta etiam finem absolute apprehendunt. Verum (*l. 2. q. 94. a. 2. 3. 4. in 3. d. 7. a. 3.*) quia bruta non sunt proprie capacia injuriæ & injustitiæ, ita nec Juris & Justitiæ; & idè Theologi strictius sumunt Jus naturale, proit solis hominibus competit, vocantque illud, quod ratio naturalis dicitur. Undè

Dico 2. Jus Gentium non est idem cum Jure naturali, proit & strictè sumpto; nec sub illo continetur, sed sub positivo. Quamvis S. Th. disertis verbis hanc conclusionem non tradat hic, satis tamen aperte docet, cum solvat argumenta in contrarium: & adhuc apertius l. 2. q. 95. art. 4. ubi ait, quod *Jus positivum dividitur in Jus Gentium & Jus civile.* Censet ergo, Jus Gentium contineri sub positivo, non sub naturali, quod opponitur positivo.

Prob. Jus naturale est absolute & ex natura rei necessarium independentè a consensu hominum: Jus positivum e contra; atqui Jus Gentium non est absolute & ex natura rei necessarium, sed secundum utilitatem & congruen-

gruentiam ex hominum beneplacito & consensu introductum: ergo. Minor patet ex ipsa definitione Juris Gentium; definitur enim: *Id, quod communi hominum, seu populorum consensu fuit introductum:* sive interim apud omnes universim nationes observetur, sive apud plerasque tantum. 2. Prob. eadem minor exemplis ipsarum rerum, quæ dicuntur Juris Gentium, ut sunt agrorum divisio & proprietates, servitus captorum in bello, legatorum admissio, & securitas, &c. Hæc enim & alia hujusmodi non sunt absolute & ex natura rei necessaria vite humanæ, sed tanquam utilia dumtaxat & congruentia ex voluntate hominum introducta, sic ut eadem voluntate possint abrogari, sicut de facto abrogata est inter Christianos servitus captorum in bello, & abrogari posset admissio & securitas legatorum ex consensu duorum Regum inter se bellantium. Ipsa etiam bonorum terre communitas servari potuisset secundum se, si homines essent quales debent esse, fideles, probi, bono communi magis, quam proprio, intenti: proit de facto redintegrata est nascente Ecclesia Jerusalem; & etiam nunc in Monasteriis; sed quia ex natura corruptione homines cupiditatis, maxime avaritiæ & proprio commodo magis, quam communi bono, sunt intenti; omnes nationes judicantur expedire ad cultum agrorum & pacificum illorum usum, ut dividerentur: ergo. Confirmatur: Jus naturale aut est primum principium per se notum, aut conclusio ex illo necessitate absoluta deducta independentè ab hominum voluntate; atqui Jus Gentium non est primum principium, ut patet, neque conclusio sic necessario deducta, sed tantum utilis & congruens humane societati, in quam omnes, aut ferè omnes Gentes consenserunt: ergo.

Dices. Leges, quæ sunt Juris Gentium, inferuntur ex Jure nature: ergo Jus Gentium pertinet ad Jus naturæ sicut conclusiones ex principiis Physicis deductæ sunt Physicæ. R. D. Ant. Leges quæ sunt Juris Gentium inferuntur ex Jure nature per necessariam consequentiam, tanquam ex natura rei simpliciter necessaria, N. per consequentiam non necessariam, neque ut simpliciter necessaria, sed ut congruentes, tantum & valde condecetes. C. Patet in hoc discursu: ad vitam humanam servandam agri sunt excolendi; atqui, si essent communes, non bene colerentur, cum homines sint in rebus communibus segiores: ergo sunt dividendi. Hæc conclusio licet bene inferatur, non tamen est absolute necessaria, siquidem etiam posita communitate agrorum possunt absolute excoli, si homines essent probi, ut debent esse; sed inferitur ut conveniens, supposita hominum incuria in bonis communibus. Ad paritatem eodem modo respondendum, conclusiones necessario deductas ex Physicæ principii esse Physicæ; secus, si congruerent tantum & probabili argumento inferuntur; tunc enim non sunt Physicæ, nisi materialiter & secundum quid.

DIGRESSIO I. HISTORICA.

Utrum Canones Apostolorum sint genuini?

Ad Art. I. Dissert. Præcedentis.

Canones, qui dicuntur Apostolorum, vulgò circumferuntur 85. Quam variè de iis senserint Auctores, refert Gratianus in suo Decreto dist. 16. Quidam omnes 85. admittunt: quidam 60. tantum: alii 50. alii aliter. Omnes 85. recipit Concilium Trullanum anno 602. sed nullus est auctoritatis, utpotè accephalum. Dionysius exiguus circa ann. 530. quinquaginta priores retulit in Codice Ecclesiæ Latinæ; sed monet in sua Præfatione, quod iis plurimi non præberent assensum facilem. Postea successu temporis plures ex his SS. Pontifices inter Ecclesiasticas Regulas admiserunt; ex quo, quamvis sint Apostolis suppositi, ut modò dicam, auctoritatem acceperunt. Quæstio est igitur, utrum hi Canones vel ex parte, vel ex integro sint genuini Apostolorum fœtus, an potius illis falsò adscripti? Pro quo

Dico: Omnes Canones, qui dicuntur Apostolorum, sunt ipsi falsò adscripti. Prob. 1. ex Gelasio Papa, qui in Synodo Romana ann. 494. decernit in hunc modum: *Liber Canonum Apostolorum apocryphus.* Refertur e. *Santa Romana* d. 15. Prob. 2. ex 2. Isidoro Hispalensi, qui 7. ineunte sæculo sic loquitur: *Canones, qui dicuntur Apostolorum; sed quia eisdem nec Sedes Apostolica recipit, nec sancti Patres illi assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniuntur, tamen auctoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse*

remota, atque inter apocrypha deputata. Refertur d. 16. cap. 1.

Prob. 3. Plures ex istis Canonibus continent falsam Doctrinam. 1. Canones 46. 47. & 67. reprobant Baptismum collatum ab Hæreticis: neque dicas, sermonem esse tantum de baptismo collato ab Hæreticis, qui formam Baptismi non observabant: tum, quia loquuntur simpliciter & indiscriminatim de Baptismo collato ab Hæreticis: *Episcopum, inquit Canon. 46. aut Presbyterum, Hæreticorum Baptisma suscipientem, damnari præcipimus:* cum, quia ratio Canonis petitur non a forma Baptismi, sed a persona baptizantis, hoc modo: *Episcopum aut Presbyterum, Hæreticorum Baptisma suscipientem, damnari præcipimus: que enim conventio Christi cum Belial, aut quæ pars fidelis cum infidelis?* atqui hæc ratio convenit omnibus Hæreticis: ergo vel loquitur de baptismo cujusvis Hæretici, vel inepta est ejus ratio. 2. Canon. 40. præcipit trinam immersionem in Baptismo; cum tamen constet, Apostolos ea non fuisse usos. 3. Canon. 65. prohibet jejuniæ Sabbathi sub poena depositionis; cum tamen certum sit, hoc jejuniæ fuisse in usu Romæ tempore S. Ambrosii. 4. Cap. 84. recenset inter Libros sacros tres Machabæorum Libros, & rejicit Librum Sapientiæ: ergo.

Prob. 4. Si Canones illi forent ab Apostolis editi, Veteres Patres 4. priorum sæculorum eos retulissent in Canonem sacrarum Scripturarum, sicut alia Apostolorum opera: itè eorum meminit Eusebius & S. Hieron. dum Apostolorum opera summa diligentia recensent: meminit Victor Papa in controversia de Paschate adversus Asiaticos, utpotè cui aperte faver Can. 7. quo constituitur, ne Pascha cum Judæis celebraretur; neque id ignorasset sanctissimi Orientis Episcopi contra sentientes: meminit Cyprianus & Firmilianus, de Baptismo Hæreticorum iterando, contra Stephanum Papam; quippè quibus favent Can. 46. 47. & 67. meminit Demetrius Alexandrinus in causa Origenis de sui abscissione, quam damnat Can. 21. 22. & 23. atqui neque Patres quatuor priorum sæculorum hos Canones in Canonem sacrarum Scripturarum retulerunt, neque illorum meminerunt Eusebius & S. Hieronymus, neque ullus ex laudatis, etsi res eorum ita deponerent: ergo.

Obj. 1. Plures, tam Patres, quam Synodi priorum sæculorum sæpè decernunt eadem, quæ continentur in Canonibus Apostolorum, & in suorum Decretorum confirmationem allegant *Antiquas Leges, Leges Ecclesiasticas, Doctrinam Apostolicam, Canones Apostolicos, Canones Ecclesiasticos, &c.* atqui his terminis videtur nihil aliud posse intelligi, quam illam collectionem Canonum, de quibus est quæstio: ergo. R. N. Min. His enim terminis significatur dumtaxat usus moresque sacri, qui tunc vigebant in Ecclesia, ex Apostolorum Doctrina, seu Traditione promanentes: erat enim tunc, proit nunc est, consuetudo solemnitas, quam etiam asserit Aug. contra Donatistas, referendi ad acceptas ab Apostolis Traditiones & Apostolicas Regulas disciplinæ, mores sacros in Ecclesia servari solitos, qui in Scripturis non exprimebantur. Exemplo sit ipsa Synodus Nicæna. Can. 15. sic decernit: *Lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egredietur de corpore, ultimo & necessario Viatico minime privetur.* Canon. 18. statuit ex antiquiore Canone, illicitum esse Diacono Eucharistiam Presbytero porrigere: & tamen neque in collectione Canonum Apostolorum, neque in illis prioribus Ecclesiæ monumentis legitur hæc antiqua Lex, aut antiquior Canon.

Obj. 2. Synodus 7. Œcumenica Can. 1. 5. & 10. Romana sub Greg. VII. Can. 2. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 1. Nicolaus I. passim in suis Decretis. Leo IV. d. 19. cap. *Libellis.* Joannes VIII. & alii citant illos Canones ut Apostolicos: ergo. R. quod citent hos Canones sub nomine Apostolorum, quia, ut ita citarentur, usus invaluerat: at non decernunt, verè, an falsò Apostolis inscribantur, ut nec Quæstionem illam, quæ ad eorum institutum non pertinebat, expendunt.

Obj. 3. Priores Ecclesiæ Romanæ Pontifices Anacletus, Alexander, Julius, Eleutherius, Marcellus, Fabianus, &c. disertè meminerunt Canonum Apostolicorum in variis suis Epistolis: eosque probantur: ergo. R. Has Epistolas ab Eruditis penè omnibus censi spurias & suppositas, ut Digressione seq. dicemus, Undè

Utrum Epistolae decretales veterum Pontificum Romanorum, qui floruerunt quatuor primis Ecclesiae saeculis usque ad Siricum, sint genuinae?

Ad eundem Art. I.

NON est Quæstio de illis priorum Pontificum Epistolis, quæ a SS. Patribus aut veteribus & fide dignis Ecclesiasticæ Historiæ Auctoribus referuntur, quales sunt Epistolæ S. Cornelii inter opera S. Cypriani relatæ: Epistolæ Julii I. apud S. Athanasium Apol. 2. Epistolæ Liberii apud S. Hilarium in fragmentis: Epistolæ Damasi ad Illyrici Episcopos apud Theodor. l. 2. Hst. & aliæ ejusdem Pontificis apud S. Hier. hæc enim admittuntur ab omnibus pro genuinis. Quæstio est igitur duntaxat de illis Epistolis, quas Isidorus Mercator in sua Conciliorum collectione inseruit, & quas ex eo alii Conciliorum Editores in suas collectiones transtulerunt: quarum quinque adscribuntur S. Clementi: tres Anacleto; duæ Evaristo; tres Alexandro; duæ Sixto; una Telesphoro; duæ Hygino; quatuor Pio (Collectio Isidori edit. Paris. 1524. qua utimur, habet tantum duas); una Aniceto; duæ Soterii; una Eleuthero; quatuor Victori (edit. Paris. duæ) duæ Zepherino; duæ Calisto; una Urbano; duæ Pontiano; una Antero; tres Fabiano; tres Cornelio (edit. Paris. duæ); una Lucio; duæ Stephano; duæ Sixto II. duæ Dionysio: tres Felici; duæ Eurychiano; una Cajo; duæ Marcelino; duæ Marcello: tres Eusebio; una Melchiadi; una Sylvestro; una Marco, duæ Julio; duæ Liberio; duæ Felici; sex Damaso. Quæstio est, inquam: utrum ille Epistolæ sint genuinæ, an supposititiæ?

Dico: Has omnes Veterum Pontificum Epistolæ decretales Eruditi plerique habent pro supposititiis. Probant 1. Quia ille Epistolæ usurpant sacram Scripturam secundum vulgatam Editionem, a S. Hieronymo illos Pontifices adnotatam; obiit enim Hieron. ann. 420. annis 24. post Siricum. 2. Quia in omnibus his Epistolis idem stylus, idem scribendi character occurrit, quod non esset, si a tot Pontificibus diversis temporibus essent conscriptæ. 3. Quia nullus Auctor Ecclesiasticus, nullum Concilium, nullus Pontifex ante 9. sæculum, aut saltem finem 8. His Decretales unquam citavit, vel nominavit. Et Dionysius Exiguus, qui, ut ipsemet testatur in Epistola ad Julianum Romanum Presbyterum, summa accurate omnitium & singulorum veterum Pontificum Epistolis collegit, suam Collectionem incipit a Sirico, hæcque Collectionem Ecclesia Romana probavit, teste Casiodoro cævo c. 28. divia. Insit. Floreat Dionysius Exiguus sæculo 6 obiit enim ann. 533. 4. Quia ille Epistolæ sunt compilatæ ex Epistolis, Operibus & Decretis Pontificum, Patrum & Conciliorum, Sirico posteriorum. Neque dici potest, hos Auctores posteriores de contra ex præfatis Epistolis plurima hausisse: si enim vera foret hæc responsio, aliquando Decretalium Auctores nominassent, sicut alios nominarunt, tum honoris causa, tum in confirmationem suorum dictorum, utque tantis testimoniis & tam venerabili auctoritate hæreticos efficacius confutarent; quod tamen nusquam fecerunt: ergo.

Obj. 1. has Epistolæ cit. & agnitas fuisse ut genuinas a variis Conciliis, Aquisgranensi sub Gregorio. IV. Coloniensi, Moguntino, Metensi sub Arnulpho, Remensi, Lateran. sub Calisto II. Item Auctores gravissimi & doctissimi, Benedictus Levita Compilator Capitularium Caroli Magni, Hincmarus Laudunensis, Luitprandus, Ordo Romanus, Anselmus Lucensis, Burchardus, Ivo Carnotensis, Gratianus in suo Decreto, quod sequitur Ecclesiæ, & quod in Scholis legitur; omnes tandem Juris Pontificii Interpretes, omnes Theologi, ipsemet Doctor Angelicus ab ann. 400. & amplius harum Epistolarum testimonia protulerunt & laudarunt: ergo. Respondent 1. hæc omnia Concilia & Auctores esse sæculo 9. posteriores, nec præfatas Epistolæ, quantum ad eorum Auctores, juxta severioris Criticæ Regulas expendisse: & ideo tot sæculorum silentium, junctum gravissimis rationibus, videri anteponendum testimoniis posteriorum; eo maxime quod plures ex istis recentioribus decepti fuerint honesto nomine Isidori, sub quo præfatis harum Epistolarum artifex, putantes esse S. Isidorum Hispanensem. 2. Plura Concilia, plures Auctores has Epistolæ occasione data citarunt, non ut genuinas, sed quia auctoritas illas, quod dogmatum veritatem, disciplinæ

rationem, & judiciorum ordinem esse ab Ecclesia & usu receptas, minime curantes de illarum Auctoribus, nec ad id instituentes examen criticum, quod non erat eorum institutum. Hanc Resp. innuit Baronius ad ann. 865.

Quod verò addit, Ecclesiam sequi Decretum Gratiani, Negant: multa enim, inquit, sunt in ea Collectione, quæ Ecclesia probare non potest, cum scateat innumeris erroribus, pseudepigrapha frequenter citet, & Patribus, Conciliis, Pontificibus plura Decreta tribuat, de quibus nequidem cogitarunt, ut probat Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis in suo Gratiani emendato.

Obj. 2. Has Epistolæ ut genuinas agnovit S. Leo Magnus, Gelasius & Leo IV. easque ut genuinas ab Ecclesia recipi jusserunt: ergo. Prob. Ant. S. Leo in Epistola data ad universos Episcopos, sic ait: *Omnia decretalia constituta omnium Prædecessorum nostrorum ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut, si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps non velit negari.* Gelasius in Synodo Romana ann. 494. sic decernit. *Item decretales Epistolæ, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas decernimus.* Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniarum apud Gratian. d. 20. c. *Libellis*, ait, *Regula, quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur iudiciis, sunt Canonæ Apostolorum, Nicænorum, Anciranorum... & cum illis Regule Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Immoctii, &c.* ergo. Respondent negando Ant. ad Probat. dicunt, hæc Pontifices in verbis laudatis respicere ad Epistolæ decretales non veterum Pontificum, qui Siricum præcesserunt, cum hi nullam dederint; sed Siricii & sequentium Pontificum. Unde S. Leo loc. cit. Decreta suorum Decessorum commendans, initium ducit ab Innotentio I. Siricii successore. Verum est quidem, quod Leo IV. nominet Sylvestrum sed hunc aulem citat, non ratione Epistolarem, sed respiciendo ad Acta Synodi Romanæ sub isto Sylvestro; quod patet ex ipsis laudatis Epistolæ initio, ubi profert sub nomine Sylvestri Regulam constitutam in dicta Synodo pro ordine Canoniorum judiciorum.

Inst. Nicolaus I. in Epist. 47. ad universos Episcopos Galliarum S. Leonis & Gelasii verba laudata extendit ad omnes Decretales, quæ suo tempore circumferantur: ergo. Respondent, Nicolaum id gratis asserere, & præter mentem S. Leonis & Gelasii.

Urg. saltem ipse Nicolaus I. in laudata Epist. admisit has Decretales, easque contra Episcopos Galliarum observari jussit: ergo. Respondent 1. D. Ant. admisit has Decretales, ut vim Constitutionis in Ecclesia habentes & usu receptas, transeat: ut genuinas, N. id enim nihil intererat causæ, quam agebat contra Gallos. Contendebat præfatus Pontifex; Episcopum non posse deponi in Synodo Provinciali inconsulto Romana Sede, etiam si ad eam non appellasset: pro quo Jure stabilendo proferebat illas Decretales, quibus id sancitur. Galli de contra, qui Juri tamquam novo reluctabantur, contendebant se illis Decretalibus non adstrigi, eo quod in Canonem non essent relatæ, adeoque non haberent vim Constitutionis, seu Legis obligantis. Unde inter eos quæstio non erat, an ille Decretales essent germani factus Pontificum, quibus adscribuntur, sed utrum haberent vim Legis, etsi in Canone, sicut aliæ, non essent relatæ. Respondent 2. Dato, Nicolaum hæc Decretales decrevisse esse genuinas, nihil cogit hæc in re ipsi deferre, cum hic non decernat Dogma Fidei ut Pontifex, & validiora sint in contrarium argumenta.

Petas, qui fuerit iste Isidorus, qui harum Decretalium dicitur artifex? R. 1. videri certum, non fuisse S. Isidorum Hispanensem, ut quidam, nomine delusi, existimarunt. Quia in his Epistolis citatur Concilium Toletanum ann. 675. Concilium 6. Œcumenicum 681. Gregorius II. & III. & Zacharias, qui post annum 700. floruerunt. Obiit autem S. Isidorus Hispanensis anno 636. ut testatur Redemptus Diaconus in illius vita, Braulto Episcopus Cesaraugustanus in Catalogo Operum Isidori, Lucas Tudensis libr. 3. & Mariana libr. 6. cap. 7. Adde, præfatum Braultonem, S. Isidoro cævum & amicum, nullam mentionem facere harum Epistolarum in Catalogo, quem texuit ipsius Operum R. 2. Incertum esse, quis fuerit iste Isidorus, qui dicitur Mercator. Quidam existimant, fuisse Episcopum, alii fuisse Monachum, qui præ humilitate se Peccatorem dicere soleret: Scribas autem ex oscitantia pro Peccatore scripsisse Mercator.

Dis.

Cum Jus, 2. modo sumptum, pro facultate aliquid faciendi, acquirendi, &c. sit fundamentum Juris, seu Justi, quod est objectum Justitiæ, multa de illo scitu necessaria præfati Tractatu occurrunt discutienda, maxime de Dominio, quod est præcipua ejus species. Unde sit

ARTICULUS I.

Quid, & quotplex sit Dominium?

Quid usufructus, & usus.

Dominium ut sic (Q. 7. de Pot. a. 10.) ex una parte importat auctoritatem, & potentiam in rem, vel personam; ex altera subjectionem rei, vel personæ, talem, ut ipsa dicatur esse alterius. Dominus enim dicitur, qui habet aliquid suum, de quo possit disporre, vel in quod possit auctoritatem exercere. Duplex est: Dominium Jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos: actus autem gubernandi sunt præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, præmiare in ordine ad bonum commune; & Dominium proprietatis, quod est facultas disponendi de aliqua re ut sua in proprium commodum: & de illo hic potissimum agitur.

Dominium proprietatis iterum est duplex: unum plenum & perfectum; aliud non plenum & imperfectum. Dominium plenum est jus ad proprietatem rei, & commoda ejus. Non plenum est Jus ad proprietatem rei absque ejus emolumentis, vel jus ad emolumenta absque proprietate. Primum dicitur Dominium directum: tale competit v. gr. Principi respectu Feudi. Secundum dicitur Dominium utile, tale competit Usufructuariis & Feudatariis, Emphyteutis, &c. Igitur

Dico 1. Dominium proprietatis plenum, & perfectum proit directum, & utile complectatur, rectè definitur: Jus in re, seu facultas legitima disponendi de re tamquam sua ad quemlibet usum, lege non prohibita, in proprium commodum ex D. Th. hic q. 66. a. 1.

Explicatur: ponitur *Jus in re*, tamquam genus; quia omne Dominium est Jus in re, non e contra; qui enim habet hypothecam, pignus, usufructum, habet Jus in re, non tamen Dominium plenum. Dicitur, *disponendi de re*, propria nempe auctoritate, non ex alterius commissione. Dicitur *tamquam sua*, ut excludatur simplex Jus ad rem, & nuda possessio sine proprietate, ut in usufructu hypothecæ, pignore, &c. Dicitur *ad omnem usum*, vendendo, scilicet, donando, vel aliter alienando, consumendo, destruendo, &c. per quod excluditur omne Dominium non plenum, sive directum tantum, sive utile tantum. Dicitur: *Legge non prohibita*; quia, licet Dominium ex natura sua tribuat potestatem ad qualemcumque usum, potest tamen hæc potestas impediri per Legem, ne exeat in actum; ut fit in Pupillo, qui ante legitimam ætatem non potest bona sua alienare, licet sit verus illorum Dominus: unde, si alienaret, non peccaret contra Justitiam; & in fide commissario, qui non potest cuilibet voluerit Fideicommissum transferre; quo casu nihil quidem detrahitur ipsi potestati, sed duntaxat impeditur ejus actus; sicut, manente vera potentia videndi, impeditur actualis visio per velamen oculorum, ita ut, sublato Legis impedimento, absque novi Juris accessu, possit Dominium exire in hunc actum prius impeditum, ut patet in Pupillo, dum attingit ætatem a Lege definitam. Dicitur: *In proprium commodum*; per quod distinguitur maxime a Dominio Jurisdictionis, quo quis uti non potest in proprium commodum, sed in commune, & subditorum bonum. In quo valde hallucinatur nonnulli, qui putant Reges posse pro libitu quomodolibet, & quando voluerint, disporre de personis, & bonis subditorum: tales verius vocares Tyrannos, quam Reges.

Si petas, quæ conditiones requiruntur ad perfectum Dominium? Resp. easdem requiri ac pro Jure in Re. Require eas cum suis exceptionibus art. 1. præced. Dissert.

Dico 2. Usufructus definitur: *Jus utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia.* Ita in Jure. Dicitur *Jus*, quia non definitur hic actus utendi, quem Jurista vocat *Usus facti*, sed ipsum Jus utendi fruendi. Dicitur *utendi*, ut distinguatur a jure, quod habet deposita-

rius in deposito, creditor in hypotheca, vel pignore, qui his rebus uti non possunt invito Domino absque obligatione restituendi æstimationem usûs. Dicitur *fruendi*, ut distinguatur a simplici usu; qui enim habet simplicem usum, potest tantum uti re, v. gr. equo, domo, horto, agro, sylva, &c. ad necessitatem propriam, & quotidianam, ita ut nec superfluos fructus, nec jus quod habet, possit alteri locare, vendere, aut gratis cedere; cum is, qui usufructum habet, possit hæc omnia facere. Ita L. 12. ff. de usu. Fructus autem reputantur, non solum in immobilibus, ut in fundo fœnum, segetes, virgulta, arbores caduæ, *Bois taillis*, (fructifera enim non reputantur fructus) sed etiam in mobilibus, ut in grege lana, lac, foetus, &c. Ubi nota, sylvam caduam, etiam si intempestivè cæsa sit, esse in fructu, sicut olea immatura lecta, item fœnum immaturum cæsum. L. 48. ff. de usufructu. Quoad messem verò, & vindemiam expectanda est maturitas usufructuario. Nota insuper, quod, si usufructuarius moriatur, antequam collegerit fructus etiam maturos, hi acquirantur Domino proprietatis, & non hæredibus usufructuarii. Ita Inst. de rerum divisione. §. 1. *verò*. Ratio est; quia, quandiu adherent fundo, censentur unum cum ipso: unde pertinent ad Dominum fundi, donec usufructuarius hos colligendo fecerit suos. Dicitur *rebus alienis*; quia usufructus est servitus, quæ non nisi in rebus alienis constitui potest; *nemini enim res sua servit, sed prodest jure Domini*; ut dicitur L. 26. ff. de servitute præd. rusticæ. Dicitur: *salva rerum substantia*; quia usufructuarius debet rem integram Proprietario reservare. Unde usufructus non potest propriè constitui in rebus, quæ unico usu consumuntur, ut in vino, oleo, &c.

Ut autem salva maneat rei substantia, quædam onera incumbunt usufructuario. 1. Si habet usumfructum gregis, vel armenti, in locum capium demortuorum alia capita e fiet, quem percipit, submittere debet, quæ cedent in Dominium Proprietarii. Inst. de rerum divisi. §. 38. Si tamen, non gregis collectivè sumpti, sed singulorum capium usumfructum habuerit, non tenetur substituere alia capita in locum demortuorum. L. 70. ff. de usufructu. Ratio est; quia grex est æternus, sed singula capita pereunt. Idem dicendum, si pecus sit ejus nature, ut prolem non habeat. 2. Si habet usum sylvæ aut vineæ, in locum arborum, aut vitium demortuorum tenetur alias plantare; & tunc priores, quæ mortuæ sunt, pertinent ad ipsum usufructuarius. L. 18. ff. de Usufructu. Si verò vi tempestatis eversæ sunt, non debet alias substituere, sed eversæ pertinent ad Proprietarium, nisi fortè essent necessarie ad refectionem villæ, quo casu is uti poterit usufructuarius. L. 59. 19. 12. ff. de Usufructu. 3. Si habet usumfructum domus, tenetur ad modicas reparaciones, ne pereat rei substantia; non tenetur ad majores, neque ad reparationem ædium, si vestustate corruerint: ei quoque incumbunt onera rei annexa ut tributorum solutio. Hæc de oneribus usufructuarii ex Sylvestro v. *Usus*, q. 9.

Petas 1. Quomodo acquiratur usufructus? R. Acquiri, sicut acquiruntur altera jura, scilicet vel auctoritate Legis, & dicitur usufructus civilis, vel privata dispositione, & dicitur conventionalis.

Petas 2. Quomodo amittatur? R. Ex Sylvestro loco cit. q. 11. amitti, 1. Per mortem usufructuarii. 2. Si res, in qua est constitutus, pereat, ut si domus incendio consumatur: ita quod, etiam si reficeretur, non revivisceret usufructus. 3. Si usufructuarius jure suo non utatur tanto tempore, quod sufficit ad prescriptionem, hoc est, triennio pro mobilibus; si verò agatur de immobilibus, decennio inter presentes, vicennio inter absentes. Sufficit tamen, quod per alium utatur. 4. Finito tempore, pro quo erat constitutus: & si sine temporis determinatione relinquatur Ecclesiæ, vel Civitati, finitur post centum annos: quia *is finis vitæ longævæ hominis est*, inquit Jura L. 56. ff. de Usufructu. 5. Per maximam, & mediam capitis diminutionem, non per minimam. Maxima dicebatur capitis diminutio, cum quis simul amittebat libertatem, Civitatem, & Patriam; quales erant hi, qui damnabantur ad metalla, ad bestias, aut ad aliud genus mortis, quod non raro differebatur ad longum tempus. Media, quan-